



*D. C. D.*

# SACRARIUM

D. MICHAELIS INTERIUS

*OMN.*

## BIBLIOTHECA CURIENSI

*ad eundem,*

Quibuscum universam Primarii Curienſium Templi Hi-  
ſtoriam abſolvit,

*inſimulque*

*ad habendum.*

In Illuſtri Curiano d. Januarii

ACTUM GRATULATORIO-EUCHARISTICUM,

Novi cum DEO ineuntis Anni cId Ise XCI.

*auſpicalem,*

Proceres Curianæ Urbis

*eâ, qua par eſt, devotione,*

*invitat.*

M. JO. CHRISTOPHOR. LAYRIZ,

Gymnaſii Patrii Rector.

---

*Literis Minzelianis*

## LECTORI Φιλοβιβλω SALUTEM &amp; OFFICIA!

**J**ANO, fictitio Romanorum Deo, ut est in fabulis illorum, veterem claudente annum, & novum, cum Januariō, dictō ab illo mense, referente fores, (quod *PLUTARCHUS de Questionibus Romanis, XIX.* ea fini à Numa Pompilio contra Romulum, qui Martis filius Martisque cupidus, Martio hunc honorem detulerat, statutum fuisse censet, quod pacis studiosus, Janum quoque, civilem & terræ colendæ quàm belli studiosiorem, præ illo vellet cultum, nos quoque, sed vero Duce DEO, obseratas jam olim *MICHAELITANI TEMPLI* nostri fores recludimus, & quod epimetri loco, Historiæ ejus, novem & dimidiō quaternionibus sufficientissimè absolutæ, addere placet, *SACELLUM* quoque; lustramus Interius, nostris die Sacristen dictum. Munit introitum ejus *Capella* *Ædis* nostræ *OCTAVA*, quæ *S. SEBASTIANO* à superstitionis Majoribus dicata, & superius p. 159. fuit excusata, ubi simul ejus nunc aptè refricamus memoriam, quod pariter p. 132. & 142. suggestimus: hoc nempe Sacellum primum Templi nostri haut fuisse, sed istud, quod duplici hodie inservit introitui, tum, quod ambo Exarchorum ascenditur Provincialium, tum, quod ad Subsellia Magistratus Oppidani nos recipimus, muro transverso inter utroque aditus nunc divisum. Quod autem recentioris hujus nostri structuram attinet, suscepta illa unà cum *IX. Capellis*, ab A. 1480. usque 1486. excitatis, ut *WIDEMANNUS* noster id post A. 1572. in conditi Templi Historia, expressè commemorat, eaque arte fuit perfecta, ut instar hortorum Semiramidis, pensilis appareret, fornicibus nempe insignibus superimposita, qui pergentibus ad Michaëlis Portulam transeundi sunt. Superiorem ejus contignationem Organon occupat Pnevumaticum, quod de superius aliquot locutæ sunt paginæ. In ipsum Sacrarium nunc recipientibus se à sinistra comparet manuscrinium quoddam majus, in corona hæc legenda exhibens verba: *ARCHIVUM COLLEGII ECCLESIASTICI CURIENSIIUM*, procurante *Dns. Aurelio STREITBERGERO, SS. Theolog. Doctore*, pro tempore *SUPER-*

**PER ATTENDENTE.** Documenta inibi recondi Ecclesiastica, & tum ipsam Superintenduram, tum adjunctas Inspectioni ejus Parochias & Scholas concernentia, ex Titulo facile liquet; quod tamen Superintendenti hæc talia, cotidianæ Bibliothecæ instar, ad manus esse usus postulet, bene multa illorum pars in *Archivum Superintenduræ* translata, privatis *Dn. Superintendentis* ædibus studiofissimè aservatur. Ad dextram *scriniolum* aliud minus munito est insertum, quò vasa recluduntur, administrandis sacris Symbolis liberali pleraque manu collata, epigraphæ hæc habet: **Gottes-Kasten/ angefangen Anno 1529.**

Non ita procul à majori Archivi scrinio fores se produnt ferreæ, quibus conclave quoddam interius, arcuato opere extructum, munitur, hòc vestes pretiosiores sacræ, & alius ornatus Ecclesiasticus, quo divite admodum *D. Michaël noster*, ex Majorum superbit liberalitate, reponuntur, minori æstimatis & usui dierum Festorum & Dominicalium inservientibus, in pulpitis ad latera & in medio positus, magno cum primis *Casiolarum* numerò, comparentibus. Sed hæc talia nos minimè morentur, nec renovationem hujus Sacelli multis attendimus, quâ Anno 99. superioris Seculi opere albario tinctum, & veteres *Papistarum* Sanctuli, quos *W IDEMANNUS* d.l. adhuc depingit, expuncti, apertòque altari literæ & reliquiæ, vitro inclusæ, in publicum protractæ, quæ fortean illæ fuerint, quæ modernus *Præ-Nob. Dn. Superintendens* à *W ALDECK* annis abhinc 9, fortuitò quodam casu, in hoc ipso Sacello repertas, & *Dissertatione Historicâ* à me explicatas & explosas, *SERENISSIMO* ex mandato transmisit; quin enim sibi illas *B. Sup. STREITBERGERUS* privatim retinuerit, quæ invida *W IDEMANNI*, ut alibi, ita & hic, in optimum virum est censura, nota ejus integritas dubitare nos jubet. NB

Quod ergò unum nos, & jure quidem magis sollicitos habebit, *BIBLIOTHECA* est *CURIENSIS*, quâ titulum hujus *Dissertationis* unà effulgere volumus, majorem procul dubio *Lectori*

φιλοβιβλα hoc ipso salivam moventes, quàm benè multis seculis  
 appositis aliis.

Equidem si Bibliothecarum tum veterum, *Alexandrina*, cui  
 Philadelphus primus & præcipuus Auctor, *Græcarum*, *Pisistrati*, & *A-*  
*ristotelis* præcipuè, itemque *Byzantina*; *Attica* itidem seu *Pergamena*  
 & *Romanarum*, ex numero ferè Cæsarium ordinarum, recolam ce-  
 lebritatem, quàm *LIPSIUS* egregiò de *Bibliothecis Syntagma* fecit ce-  
 lebriorem; Si ex infinitis nostrorum Seculorum vel aliquot nume-  
 rem, easque reliquis potiores, *Budensem* *Corvino*, *Archi-Palatina*  
*Philippo Rudolpho. El. Vindobonensem*, *Maximiliano II.*, *Guerferbyra-*  
*nam* *Augusto Duce*, auctoribus & instauratoribus omnes augustissi-  
 mas; si porrò numerosissimã librorum multitudinem, quã vel ul-  
 tima ex recensitis, ad 116000 Volumina, & 2000 Mss. Græca, Lati-  
 na, Hebræa, est aucta, aut incomparabilem illarum hinc inde orna-  
 tum, auro, chore & vitro, armariis item & forulis, pluteis & cuneis,  
 nec non imaginibus Doctorem virorum, & aliis picturis artificio-  
 sissimis exsplendescentem scrutor, fatendum mihi ingenuè, no-  
 stram ne umbram quidem venustissimorum istiusmodi referre  
 corporum, aut Bibliothecæ mereri nomen; interim, qui piam an-  
 tiquitatis intensionem, & sollicitos Majorum conatus, nec non  
 adversa, quibus hæc nostra, ut aliæ ferè omnes, afflicta est, fata,  
 communem iidem appellationem respexerit, Bibliothecæ nomen  
 ei invidabit minimè. Quò autem tenuiora adhæc initia pariter  
 habuit & incrementa, eò altius & studiosius mihi illa duxi evol-  
 venda, ut posteris nempe videant, quomodo Majores identidem ad  
 aliquam virtutis suæ gloriam contendere fuerint anansi, quàm no-  
 stra, degener multum ab istorum solertia, ætas, illis transmittit imi-  
 tandam. Ad incunabula igitur hujus Bibliothecæ nostræ si ac-  
 cesserò, ab ipsius Monasterii nostri, *Minoritis* seu *Franciscanis* sacri,  
 originibus ea repetenda credidero. Quamquam enim hi *Mona-*  
*chi*, homines quidem specie, ut *EUNAPIUS*, gentilis licet, *Valentiniani*  
 & *Valentis Imp.* temporib⁹, hac tamen in re veridic⁹ verè scriptor,  
 do

de iis iudicat, sed vitam turpem pecorum more exigentes, ignorantia cum primis aras extruant, omnium tamen videri volunt doctissimi, quod ut publico mentiantur splendore, Bibliothecas in Cœnobiiis suis instruunt satis luculentas, & non contemnendos in illas impendunt sumtus. Cum igitur Urbs nostra salutari Reformatione, D. Lutheri beneficiô, ad antiquam Evangelii adduceretur fidem, ipsumque Nudipedalum monasterium hospitibus suis semetipsum paulatim liberaret, eâ, quam supra p. 57. indigitavi viâ, hæc quoque structa ab illis Libraria communi Civitatis hæreditati ces sit & usui. Quam illa naeta & cum *SENECA* prudentissimmo Romanæ Sapientiæ arbitro, nullam rem consummatam esse, dum incipit, sed in omni negotio longè semper à perfecto fuisse principia censens, l. VI. Nat. Quæst. c. 5. eam pedetentim augendam statuit, lætioribus tamen usura incrementis, si novis uteretur auspiciis. Ergo Anno 1538. hebdomade Pentecostali, ut *WIDEMANNUS* ad d. A. habet, rem aggressa, ipsum primarium Templum locum thesauro huic recipiendo deputavit. Noverant scilicet sapientissimi Majores, vel gentiles à primo Bibliothecarum ortu, illas in Templis præcipuè statuisse, & sacerdotum curæ commisisse, cui argumento inter alia & illud est de Homero, quem *NAUCRATES* plagii accusat, & refert: eum cum in Ægyptum venisset, libros reperisse Phantasiæ foeminæ, quæ Iliadem atque Ulyssæam scripserit, & Memphi in templo deposuerit *Vulcani*, hos igitur viros sibi adscripsisse & edidisse; Quæ, quamquam in viro falsa opinetur *LIPSIUS*, Syntagm de Bibl. c. 1. rem tamen & morem firmare, nobiscum consentit. Capella autem Bibliothecæ receptioni dicata *Quinta*, à tergo summi altaris, p. 150. depicta, & varii utiles in illam congesti Auctores, prout temporis illius concessit ratio, cum primis *Patres & Rerum Ecclesiasticarum Scriptores*, inter quos nominatenus recensentur à *WIDEMANNO*, *Opera Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Gregorii &c. Biblia itidem Sacra Cosmographia, Josephus, Eusebius & alii*, qui partim ex Monachorum residuo penu, partim etiam ex Civium benevolâ coëmitione in unum

corpus hic compacti. Verum enim verò vix ortæ maligna obsti-  
tere fata, quæ ut hominum & urbium, ita & Bibliothecarum vol-  
vuntur frequenter; Non equidem graviora illa, quorum splendi-  
disimis quibusque plura accidisse Auctores conqueruntur gra-  
visissimi, dum *quadringenta millia librorum, pulcherrimum regie opulentiæ  
monumentum, sed in re æternâ non æternum infelici igne, Civili Pompejano peri-  
isse bello SENEC. l. l. c. 9. de Tranquillit. animi refert.* Bibliothecam A-  
theniensem Xerxes, Athenarum positus, spoliavit, quam ex Se-  
leuci Nicanoris liberalitate receptam Sulla denuo diripuit & affli-  
xit; Aristotelis Bibliotheca sub terram condita à blattis & tineis  
vitiata; *Palatina* in Templo Apollinis fulmine icta conflagravit;  
*Constantinopolitana*, in qua centum viginti millia librorum reperta,  
cum draconis intestino, centum viginti pedum longitudine, Ho-  
meriano Opere aureis literis inscripto; quæ tamen cum basilicâ  
sub Basilisci imperio, cremavit miserimè; minoribus nihilomi-  
nus fuit appetita & pessum data, dum supinâ observantium incuriâ,  
libri pastoribus & aliis mutuò accepti, pristino & genuino Domi-  
no haut restituti, Harpyjarum etiam manus in illos incidentes non  
paucos abstulere, non obstante, quòd catenis essent alligati & ba-  
cillis ferreis firmati. Usque dum tandem armaria sive toruli ipsi,  
libris vacui, Annò 1570. cum Michaëlis nostri structura continua-  
retur, loco isthoc remoti, & in Templum Monasteriale relegati;  
externis quoque cancellis, quibus integra Bibliotheca claudeba-  
tur, dejectis.

Sic primos nostrorum circa struendam Bibliothecam ausus  
in fumos abiisse vidimus, quò tamen minus deterrita posteritas,  
circa Annū 1590. operi manus denuo admovit, & cum priorum  
temporum fata loci tribueret incommoditati, qui Bibliothecam o-  
mnibus indiscriminatim adiri permiserat, clausum & probè contra  
ignis pericula munitum anquisivere locum, & bene magnum con-  
cameratumve istud eam in rem selegere conclave, quod Sacratio  
Ædis Franciscanorum superimpositum, & jam olim à Monachis

in afferuationem suæ Bibliothecæ fecit adhibiturus. Huic dona-  
 tos iterum libros biennio post intulere, secundo nempe Augusti  
 mensis die, Anno 1592, quem *WIDEMANNUS* servavit, a quo  
 simul testis, non exiguam Librorum Theologicorum, Philosophi-  
 corum aliorumve farraginem inibi esse repositam, usque dum  
 commodior crescenti Bibliothecæ impetraretur locus. Præerat  
 tunc temporis Ecclesiæ nostræ *Superintendens* Vigilantissimus *B. Dn.*  
*D. Aurelius STREITBERGERUS*, qui, si nullo alio nomine de Cu-  
 ria nostra fuisset meritus, fuit autem de Ecclesia & Scholâ ejus infi-  
 nitis, quod Acta *Superintenduræ* aperte loquuntur, quicquid eti-  
 am ogganniant tum passim ipse *WIDEMANNUS*, hunc certe in  
*Virum privatis affectibus ductus, & alii adversarii ejus*, masculè post à  
*Concionatore tenebri B. FLESSÆO, Seniore & Pastore Xenodochiali*  
 reprehensi, hœc certè gratam mereretur nominis tamam, quod in-  
 ceptum opus locupletandæ & in commodum locum reponendæ  
 Bibliothecæ fortiter urferit, ipsosque Ecclesiæ pariter & Gymnasii  
 ministros in partes sollicitationis vocando pervincere conatus sit,  
 quamquam eventus votis non ubivis responderit. Prostat ad-  
 huc in Chartophylacio Principalis Eparchiæ nostratis fasciculus  
 actorum, 24 distinctis literis conceptorum, quæ omnes satis edo-  
 cent, quam nulli eam in rem pepercerit operæ, & quo usque susce-  
 ptum hoc opus perduxerit. Compendi faciam scripta, & Curien-  
 sibus cum primis meis communicabo, ut cum arsisse videant Majo-  
 res, pariter incendantur. Id autem præ ceteris ex dictis patet tum  
 literis supplicibus, tum Principalis Regiminis, hoc enim tunc tem-  
 poris, regnante *GEORGIO FRIEDERICO* (arch. Br. B. M. Onoldi,  
 Superior Principatus administrabatur) Rescriptis, hæc ordinandâ  
 Bibliothecæ, in Scholâ, seu Gymnasii nostri, usus potissimum fuisse  
 respectum, ita enim frequentissime legunt: *Dieu u angerechte Bi-*  
*bliothec zu der Schulen zum Hof.* Petita, quibus nostrates animi  
 vota exponebant tum ad Illustre Regimen directa, ut nomine  
 Principis benevolè concederet; tum ad Generosissimum Urbis  
 Ca-



Capitaneum, *Adamum de & in WILDENSTEIN*, nec non ad Senatum oppidanum, ut suâ intercessione ad concedendum permoverent. Momenta petitionum his absolvebantur: Cùm incepta Nova Bibliotheca, angustia & uligine loci indies damni quid sentiat, Templū S. Claræ seu Monialium, nulli præterea usui inserviens, & cujus reedificatio à Synodo Provinciali, Onoldi Anno 1580 habitata, frustra expetita, quodq; nunc per 39 annos desolatum stetit, in Librariā concederetur, Principalibus sumtibus, ex redditibus Ecclesiasticis, eā in rem aptaretur, aut minimum vel solo tecto restitutū permitteretur, quò vel hoc modo antiqua Monumenta Serenissimarum aliquot è Domo Brandenburgicâ Principū, servarentur, nec penitus obliterarentur aut pessimorum nebulonum malitiā, quod jam in parte factum, pessumdarentur. Adnexum his, ut Serenissimus non tantum ab initiō, in condendam Bibliothecam, singulari Principali appareret munificentia, sed & annuatim, statō è redditibus Ecclesiasticis benignitatis prætiō, ei, pro librorum augmento, succurreret. Quam strenuè autem dictus Dn. Capitaneus pia hæc vota juverit, aliquot his mixtæ probant intercessionales, quibus utrisque motum illustre Regimen, Serenissimo *GEORGIO FRIEDERICO* rem omnem detulit, qui distinctius ad octo hæc quæ sita Capitanei expostulavit responsionem. a) *An dicto templo commodè Urbs carere, nec in alios usus illud adhiberi possit?* cui quæ sito repositum: *Nulli nisi Bibliothecæ aptum videri usibus.* b) *Quibus partibus & quali ruina laboret?* responsum: *fenestris, tecto & alibi, ut metuendum, ni in tempore succurratur, ne laquearia eleganter arcuata (quod brevi etiam factum) decidant.* c) *Quanti sumtus ab operariis in refectionem postulentur?* Re. *peculiari eos reddi Scheda, 300 conficiebant florenos, præter ligna ex sylvâ Rheaviensi & nemore Parochiæ pertinnente, dem Wieden: Holz/gratis cadenda.* d) *Quinam & quot stipem in eam rem contulerint?* Re. *Catalogum unà missum utrosque palam facere.* e. f.) *Quis pecunias accipiat & exsolvat, quinam libri jam comparati Re. posterius exhibere Catalogum, prius curare Superintendentem & Camerarium, paratos, quot annis cum adjunctis sibi*

*Bibliothecarii Capitanei & Senatus, cum rationibus ararii Ecclesiastici & harum ex pensarum reddere rationes; g. h.) Quancis sumtibus credat iuvandam hanc operam in primordio Capitaneus, quancisve annuatim, & unde, aut ex quibus redditibus, illi petendi? Prior Responsio modestâ excusatione declinata, altera 20 florenis ex Redditibus sacris, sub Principali tamen moderatione, determinata. Hæc mutuas consultationes referunt, quibus alia quædam intertexta, cum primis consilia, de Legatis quibusdam in augmentum Bibliothecæ impendendis. Nominatur enim quidam Georgius OBERLÄNDER, Senator & Xenodochii præfectus, qui brevi ante obitum 100 florenos nominatim futuræ Bibliothecæ legavit, cujus vidua huc adstringi debeat; memoria item reficitur Georgii à BRAMBACH, Consilarii Brandenburgici & Præsidis Iudicii Cæsareo-Provincialis Onoldini, qui pariter in testamento suo 100 florenos Scholæ Curiensitæ testatus, cum trium annorum censibus, nunc exsolvendos. An autem hæc ipsa Legata sibi exsoluta post habuerit Bibliotheca nostra, minus dixero, dubitare certè me jubet, quod B. STREITBERGERUS, literis ab illustri Capitaneo ad Regimen datis, hæc consilii loco margini adscripta, rursus deleverit, & quod summæ istæ in rationarium haut legantur relatæ. Quid Principis liberalitati sufflamen injecerit, nam tota res infecta permansit, æquè obscurum, cum documentis deficientibus, extra illa ingeniosis nobis haut esse liceat. Id tamen laudatorum Proxenetarum industriâ legimus effectum, ut Anno 91. d. 19. Apr. 10. floreni in Bibliothecæ Curiensis subsidium ab illustri Regimine fuerint ordinati, qui verò denuo nulli nostris cessere emolumento. Quamquam enim Conradi Reussii Tabellariorum t. t. præfecto, literæ ad Capitaneum Curiensem datæ, illos unâ mitti asseverarent, eæ tamen, nescio quo fato, deperditæ, ut Ulricus FRIESIUS, t. t. Eparchigrammateus, literas, sed sine pecuniâ, absente Dn. Capitaneo, reciperet, quæ defraudatio, cum dein à Regimine, ex indiculo Bibliothecæ, cui 10 illi floreni à B. STREITBERGERO inferri non poterant, patefieret, multum facesivit negotii; Illustri Regimine seve-*

riter inquirente, Dn. Capiteo, Superintendente & Officialibus de non accepta pecunia se exculpantibus, & Tabellariorum præfectum *Reisium* incuriamque ejus in rite consignandis Tabellionibus accusantibus, hoc autem eò ipso se tuente, quod defectus ille non illicò ab Officialibus fuerit monitus, quod factum hi asseverabant, lite in actis nondum peroratâ.

Sic ergò cum petiti sui minus fierent participes Curienses nostri, (aliud enim quid obtentum tunc fuisse, præter ceteri diætæ Ædis reparationem, quam die omnium Sanctorum Anno 93. ita susceptam fuisse refert *WILDMANNUS*, ut dimidia pars scandalis ligneis fuerit cooperta, reliquâ lapide Armenio, quo olim tegebatur tota, resectâ, non inuenio,) aliorum se contulere & subsidia passim emendicantes, impensis etiam in eam rem literis carminibus & commendatitiis adscitis aliis, publico providerunt. Repositum adhuc est in Scriniis Eparchiæ nostræ Rationarium impensarum & expensarum, Librorum itidem catalogus, qui tunc vel de novo fuerunt comparati & compacti, vel liberali aliquorum animo donati. Non pigror unum vel alterum adscribere, eò quidem ordine, ut illos, qui donati fuerunt, hodie autem desiderantur, cum Auctoribus suis, traditâ mihi, sine facultatis prærogativâ, in Catalogo serie, primò collocem locò, cœmptos his subjungam.

Priores igitur, Bibliothecæ dono dati, & consignati, qui amplius non comparent, sunt sequentes:

1. Theatrum Vitæ Humanæ Dn. D Zwingeri, IV. Tomis, don. ab *Adamo de G in WILDENSTEIN*, Capiteo Curiensi.
2. Schneidewini Annotationes in Instit. Juris, donatæ à *M Jo. Pfulmanno*, Pastore Monachomont.
3. Brunonis Episcopi Herbipolitani Annotationes in Psalterium Fol. don. à *Wolfgango Laubendero*, Pastore *Widersberg*.
4. Martini Crusii in incluta Tubingensi utriusque Lingvæ Professoris celeberrimi *πολίτευμα*, ab ipso Autore dono datum.
5. D. Habermanni Postilla Fol. donata ab *Henningo Groß* / Bibliopola Lipsiensi.

6. Hic:



6. Hieronymi Wienzels Postill Fol. don. à Jacobi Apelii Bibliopola  
Lipsiensis Heredibus.
7. Matthæi Spruch-Postill/ex Vet. Test. don. Joh. Bayero, Typo-  
grapho Lipsiensi.
8. D. Morini Plalterium Fol. don. Jacobo Tröster/ Bibliopola Jenensi.
9. Reineri Reineccii Familæ, Fol. don. Nicol. Knopper/ Bibliop.  
Jenensi
10. Lutheri Haus-Postill F. don. Cass. Hertel/ Bibliop. Jenensi.
11. Matthæi Predigten in Syracidem Fol. don. Georg. Höfer/ Cive  
Neostadiensis.
12. Historia Ecclesiastica tribus Tomis 8vo. don. Sebastiano Bichel-  
mann.

Qui ex libris, ære præsentis comparatis, & in Catalogum relatis  
comparere hodie desierunt, sunt sequentes:

13. Biblia Hebræo-Latina Pagnini, Fol. ex Plant. Off. cujus ma-  
teria cruda, ut ex indiculo patet, constabat 9 fl. 5 gr. 3. num.
14. Ejusdem Lexicon Fol. Lugdun. Batav. const. 8. fl. 10. gr. 6. num.
15. Quinqve Tomi Conciliorum Venet. Fol. const. 21. fl.  
10. gr. 6. num.
16. Flacii Clavis Scripturæ Fol. const. 3. fl. 10. gr. 6. num.
17. Godofredi Corpus Juris, in quarto. const. 2. fl. 10. gr. 6. num.
18. Sacci Postilla Fol. const. 2. fl. 10. gr. 6. num.

Ne dicam de bene multis dubio procul aliis, qui post tempo-  
ra consignati hujus & Illustri Regimini transmissi Catalogi, quod  
ad primordia condendæ noviter Bibliothecæ, anno scilicet 92. fa-  
ctû, tum donati tum comparati, & clanculum post subrepti, quorum  
ut nulla memoria, ita nec ob deperditos dolor ad nos trāsit. Quod  
si autem specialius in fata inquirere juberer, quod nempe tempore  
quâve occasione in tam adversas & insidiosas sibi manus Biblio-  
theca hæc inciderit, equeidem accuratè ea determinare admodum  
fuerit difficile, cum in Actis publicis nihil horum inveniamus,  
quæ

quæ & ultra hujus nostri Seculi Annum decimum se vix exten-  
 dunt, utpote in quò **B. STREITBERGERI** emortuali, ipsum et-  
 iam *Widemannianum Chronicon*, in aliquot tamen saltim exemplarib<sup>9</sup>,  
 privatâ industriâ continuatum, publicò illo Authentico & ipsius  
 Autoris Autographo ad Annũ 1601. tantum pergente, desit, cum  
 biennio ante *B. Chronicographus WIDEMANNUS* satis concessisset,  
 Anno nempe 1608, quem numerum Epitaphium ejus, in Templo  
 Laurentiano conspicuum, & supra p. 117. sq. adductũ, ex multis ab-  
 rasis aliis adhuc servavit. Si tamen conjecturis aliquantisper  
 indulgendam, dicendum fortè erit: ipsum *B. Streitbergerum*, cum vi-  
 deret, se neque suis, neq; aliorum etiam intercessionibus multum  
 proficere, destitisse tandem in incepto opere urgendo, multis cum-  
 primis invidiæ & hinc irarum stimulis privatim in illum agitato,  
 quod concio ejus funebri, typis impressa, haut obscure loquitur,  
 Accesit insuper ipsius Serenissimi Patriæ Patris, **GEORGII FRIE-  
 DERICI** mors, d. 26. Aprilis Anno 1603. Onoldi facta, quæ ut ma-  
 gnorum Principum mortes vulgò solent, multum turbæ & confu-  
 sionis nostris immisit terris, usq; dum illæ benignissimo pientissi-  
 mi & gloriosissimi Principis **CHRISTIANI** regimine rursus fue-  
 runt recreatæ. Quamque Urbis nostræ Capitaneus *Adamus de O  
 in WILDENSTEIN*, brevi Herum suum beata ἀναλύσει seqvere-  
 tur, die nempe 15. Augusti, Anno 1603, exitiale rursus Bibliothecæ  
 nostræ inflictum vulnus, huic enim promovendæ ille neque sum-  
 tibus neque operæ pepercit ulli, quod ferventissimæ ad Illustre Re-  
 gimen dimissæ intercessionibus, sed & aliorum benevolè concessæ  
 literæ commendatitiæ, (quarum exemplum adhuc ad Serenissimi  
 Principis **Dn. JOACHIMI FRIEDERICI**, March. Brandenb. &c.  
 Postulati Administratoris Magdeburgici Consiliarium Intimum  
*de LOEWEN*, in Scriniis prostat, in quibus summo opere contendit,  
 ut urgeat subsidium illud, quod Serenitas sua Bibliothecæ Curienti  
 clementissimè promiserit, de dato 23. April. 96.) non dubium ipsi  
 perhibent testimonium.

Sic

Sic ergo cum publica cessarent auxilia, & fulcra illa collaberentur, quibus ve grande hoc opus, quod moliebantur nostri, inniti debebat, illud ipsum mole sua una paulatim subsedisse credendum est, translatis forte circa hoc tempus in *Sacrarium D. Michaelis* & *Franciscanae* aedii conclavi libris, qui commodioris diversorii in *CLARAE* Templo, consequendi spe exciderant. Quoad autem strenuus in concilianda Bibliotheca *εργολόγος*, *STREITBERGERUS*, vixit, non destitisse planè ab initia semel juvandi publicum viam, ex eo liquidò colligo, quòd usque ad annum Seculi hujus sextum, & ultra etiam, libri prostant, tum noviter donati, tum comparati, quamquam à sociis relictus manibus, remissiùs fortè rem ageret. Obcunte verò illo, & diem placidè claudente, spes melior Bibliothecæ unà emortua, & sequentia fatum ejus tempora, haut de locupletanda, potius de imminuenda Bibliotheca, fuerunt sollicita, fatali cum primis ingruente bello, Urbi nostræ multum ferali. Optimi enim distracti rursus libri, vix in unum communi stipe collati, & qui communis rei literariæ thesaurus esse debebat, malevolorum injuriis privato adjudicabatur peculio, dum libri mutuò è publico petiti, nemine, quod nullius erat, advertente & repetente, planè non fuerunt restituti. Non recòquam querelas de supra consignatis, male fido custode deperditis, quibus infra annumerandus fuerit ex parte *Augustini*, quem impia manus *Tomis IV. V. VI* mutilum fecit, reliquis adhuc, sed magni hiatus deformitate, supersticibus, nostra modò tempora rectius sapiant, si quod vident perisse, non perditum ducant. Ne deterreat ea illud *EURIPIDIS*, *Phœnis*. *Αναδρα τὸ πλεῖον ὅσις ἀπολέσας, τὸ ἑλατὸν ἔλαβε* h. e. ignavus est re majori quisquis amissa minorem acceperit, quin potius simus ita ignavi, ut minora rursus conquirendo & accipiendo ad majora denuò emtamur. Cui voto, ut ego velificem, omnes nunc *Bonarum Literarum MECÆNATES & PATRONOS*, ad quos pagina hæc est perventura, & *CURIANOS* cum primis *PROCERES*, quin imò & *CIVES*, quibus olim magna hujus beneficii pars tribuenda, publicam, eaq; devotissimam voce exoro, obsecro

ac obsecro, velint beneficentiæ suæ laudem in eo venari, ut, quæ Magni **STREITBERGERI**, in suis donatis, typis expressa obtestatio est, ad Jehovæ veri, unius *Sarini*, Regis æterni, immortalis, invisibilis, sapientissimi, in potentissimi Trisagii gloriam, ejusdemque ac Rei literariæ ad piam posteritatem, propagationem & conservationem, pro incremento Bibliothecæ, in inclycæ Curia *Variscorum* instituta, librum unum vel alterum donent, sicque ex divite penu suo, aut bonis aliis à Deo datis, pauperiem nostram sublevent, quod ille, cujus honori hoc tribuunt, largiter reddet, & grata posteritas dignè deprædicabit.

Plura de hac Bibliotheca nostra non habeo dicenda, nisi, ut in illorum potissimum gratiam, qui liberalitatis suæ periculum facere velint, & in posteritatis memoriam, ut sciant, qui libri nostro tempore adhuc superfuerint, ne denuò harpyjæ illos involent, breven quendam indiculum apponam: Catalogum enim plenum & omnibus numeris absolutum dare neque per ocium, neque per chartæ licet angustiam; Ordinem studiosius non servo, sed illum ferè retineo, quem foruli ex ipso librorum positu, subministrant, tanta enim hic farrago non est, ut scrupulosè secundū Facultates aut Materias sint locati. A recentissimo autem omnium Libro incipio, qui pretiosissimus, tum nitidissimâ compacturâ, claustris argenteis & multo passim argento munitâ, Iconibus item rarissimis Hollandicis, tum ipsius materiæ incomparabili caritate. Sunt autem,

1. Biblia Sacra Germ. D. Osiandri. Lüneb. 1665, quæ morituri legarunt Jo. Fried. Gewandtschneider / Cur. Civis & Mercator Lips. & Conjux Anna Gertraudin, geborne **HÆTZERIN**. A. 1684.
2. Biblia Latina, liter. Monach. cum Canonibus Evangelistarumque Concordantiis, Nürnberg, per Antonium Koburger 1479.
3. Biblia Latina vetusta alia, cum Commentariis Nicolai de Lyra, & Pauli, Burgensis Ecclesiæ Episcopi, Tomis duobus per Anton. Koburger A. 1481.
4. Bibliorum horum Tomus II dus.
5. Biblia Latina, elegantissimè MSSæta in membranis, cujus scriptor Jacobus Eilinger subjunctus cum Anno 1429. Donarium hæc sunt Joh. **HORNII**, Curienfis, N. P. & Comitæ de Seinsheim Secretarii, qui elegantissimis ad **STREIT-**

- STREITBERGERUM* literis, fronti praefixis, Inscriptioe etiam metrica & Symboli ac Insignium picturâ Bibliothecae Curienfi illa dicavit.
6. Bibl. Concordantiarum Lat. quae M. Theodorus GRAMMAN, Curienfis Gymnasii Con- Rector, ad Rectoratum Gymnasii Illustr. quod est ad fontes salutares, vocatus, felicis recollectionis ergo d. d. Bibliothecae, quae Curia est VII. Id. April. Anno 1606.
  7. Bibl. Concordantiarum Germanica, in Fol. Ffurti 1621. donav. Job. Adolph Reich von Holtzhausen.
  8. Biblia Latina cum Versione N. T. Erasmi Roterod. Lipsiae 1544 don. Aurelii STRÄTZBERGER. 1590.
  9. Biblia Latina vetusta in Fol. Lugd. Bat. 1516. impensis Koburgeri.
  10. Biblia Ebraea Eliae Hutteri, Hamburgi 1587. Insignia illa praefereunt Holsatica cum nomine CHRISTIANI Haredis Norvvegiae, Ducis Slesvici, Holsatiae, Stormariae & c. qui ut ex indice patet 10. florenos Bibliothecae contulit, ex quibus liber hic comparatus. Anno 1590.
  11. Biblia Graeca V. & N. T. Francofurti 1597. Manus hic inserta ELISABETHÆ, natae Principis Anhaltinae, Viduae post Elect. & March. Brandenburg. quae donavit 1603. adscripta huic honoris ergo aliquot Serenissimorum Marchionum Brandenburgensium & Duc. VVürtemb. manus, cum Symbolis. Insignia etiam Brandenburgica & Anhaltina appicta.
  12. Biblia Germ. Luther. Witteb. Tom. I.
  13. Tom. II.
  14. Biblia Germ. Dan. Crameri cum Notis Luth. Tomis. II. bus Argentor. 1675.
  15. Biblia Germ. cum Summariis Viti Dieterici, Witteb. 1621.
  16. Biblia Germ. B. Lutheri, Ffurti 1589. Fol. donata à Job. Adamo JODIZERO.
  17. Die Propheten alle Teutsch Martin. Lutheri Witteb. 1532.
  18. Test. Nov. cum Annot. Theod. Bezae, Basel. 1588.
  19. Viti Dieterici Sumarien über die ganze Bibel. Witteb. 1560.
  20. 22. M. Matth. Vogelii Schatz-Kammer & Edel. Schriff. Tubing, 1588. donavit Friedrich Weigant von REOWZTZ 1591. cujus insignia singulis tribus Voluminibus VII. Tomos comprehendentibus exhibentur.
  23. Schleupneri Harmonia V. & N. T. Norimb. 1632 ex dono AUCTORIS d. A.
  24. Fl. Josephi Opera Graecè. Bas. 1544. don. Jo. OETTVEIN, VVonsiedel. I. U. D. Acad. Lips. pro tempore Rector.
  25. Ejusd. Opera Lat. Ff. 1590. quae donarunt quatuor Cives nostrates, Jobst von EUGENBACH / Philipp PRUCKNER / Georg COESTNER / Wolf REUTEL.



26. Lutheri Tomus VI. Witteberg. Germ. Witteb. 1570.
- 27--34. Ejusdem Tomi Germanici Jenenses, impress. Jenæ. 1575. Sunt autem VIII. numero & totidem complent Volumina, quibus Michaelis nostri Bibliothecam ornavit CAROLUS COMES PALATINUS Rheni, 15. thaleris in a-  
am liberalis. Prefixa hinc ejus insignia cum literis G. VV. A. D. Z. B. & Symbolo:  
Sis sapiens & sis patiens dicendo, silendo;  
Qui sapit & patitur denique victor erit.
- 35-37. Augustini Opera Tom. I. II. III. VII. VIII. IX. X. IV. enim V. & VI. desunt.
38. Damasceni & Cassiani Opera Fol. Basil. 1575.
49. Athanasii Opera Fol. Lutet. 1519.
40. Ambrosii Operum Tomus IV. Fol. Bas. 1538. ex Bibliothecâ Doct.  
SCHLEUPNERI.
41. Lactantii Institutiones contra gentes Venet. 1478. don. à Chr. MAIERO.
42. { Hilarii Opera Bas. 1578. it.  
{ Zanchii de Tribus Elohim & de naturâ DEI, Fol. Neostad. Pal. 1589.
- 43--46. Nicol. de Lyra Opera Tomis & Volum. IV. donante M. Zach.  
SCHNABEL, Pastore VVonsesf. 1608. Norimb. 1493.
47. Chytræi in Hist. Jos. Ruth. Proph. & Ps &c. explicatio Lips. 1491.
48. Matthæi Gualtheri Tigurini Evangelista Matthæus, Tiguri 1581. ex dono  
M. Fried: VWilhelm. ZEMBESCHII 1631. d. 9. Febr.
49. D. Georgii Majoris Opera in Epist. Dom. & Fest. Witteb. 1569.
50. Matthesii Homiliæ in Epistolas ad Corinth. Lips. 1590.
51. Gregorii Zarnowitzæ Postilla Amberg. 1603. donante M. PERTSCHIO,  
Rectore Curiensi die 19. Novembris. 1686. quo Selbam discessit, ad sus-  
cipiendum Pastoratum.
52. 53. Salom Codomanni Catechis. - Predigete Tom. & Vol. II bus. Ffti 1604.
54. Formul. Concordiæ Fol. Dresden 1580.
55. Apologia Concord. Germ. Dresdæ 1584.
56. Concord. Christiana Dresdæ 1580.
57. Hieronym. Zanchius de Operibus DEI intra spatium 6. dierum creatis,  
& Comment. ejusd. in Epistolas Pauli ad Ephes. Neostad. Palat. 1591.
58. Jo. Ludovici Vivis Valentiniani Opera in 2. Tom. dist. Bas. 1554. don.  
Georg PFANNENOTZEL.
59. Antonii Sadeelis Chundei Opera Theol. in Fol. excud. Jo. le Preux 1593.
60. Chemnitii Examen Concilii Trident. Efurtis 1575. don. Gabriel 30  
OTZEL Casner sum Hof 1591. cujus insignia adpiet.

61. Buntingii Chronologia Servestæ 1580. don. **БАНДРУКОВИЧ** 1595
- 62-64. Aegidii Hunnii Opera Tomis & Volumin. Ulbus Witteb. 1607.
65. Lektionen Monachorum de Tempore Mstæ.
- 66 Breitenbachii Liber de Terra Sanctâ.
- 67-71. Centuriatorû Magdeb. Tomi XII. 5qve Voluminibus comprehens.
- 72-73. Flacii Catalogus Testiû Verit. Tom. & Volum. duobus, Lugduni 1579
74. Layrizii **Рабста** Chron/ Baruthi 1685.
75. Brentii Catechismus Ffurti 1551.
76. D. Petri Epistola Latin. Ingolstadii. 1546.
77. Crusii Conciones Carech. Tub. 1588. ex don. Auct.
78. Hieronymi Plati L. III. de Bono Status Relig. Ingolstad. 1590.
- 79.80. Eusebii Hist. Eccl. 2. Tom. & Vol. Lovan. 1569. don. Seb. **Рёлmann**.
81. Cubus Alphabeticus S. Ebrææ Lingvæ Eliæ Hutteri, in Latinum con-  
versus à Davide Woldero Ecclesiast. Hamburg. Fol. 1588.
82. Libri Chronicorum ab initio Mundi, seu Hist. Universal. Hartmanni  
Schedelii, quæ vulgò audit Chronicon Norimbergense, donavit **Joachim**.  
**VOGEL** Curiensis, Civis autem Lipsiensis A. 95.
83. Pistorii Scriptores Illustres Rerum Germanic. Tom. I. Ffurti in F. 1583.
84. Ejusdem Tom. II.
85. Historia Romana Anonymi.
86. Opus Historicum Germaniæ Antiquæ Variorum Auctorum in IV. Tom.  
digestum donante **Cass. TEUBNERO** Basil.
87. Lamberti Hortensis Tumultuum Anabapt. Liber unus Bas 1590.
- 88-89. Thesauri Græcæ linguæ Henrici Stephani Tom. IV, Volumin. IV.  
coëmentum nobile hoc Opus à 21. Civibus, quorum nomina & insignia singulis  
Tomis præscripta, materia, ut index ostendit, constat 18 fl. 10. gr. 6. num.
90. Gesneri Lexicon Græco-Latinum Fol. Basil. 1550. don. **M. Jo. FEDE-  
RUS**, Byruthinus.
91. Caji Plinii Secundi divinum Opus, cum Tit. Historia mundi Fol. Basil.  
1525. donat. à **Nicolao MEDLERO** D.
92. Demosthenis & Aeschinis Opera Græco-Latina, per Hieron. Wolfium  
Fol. Basil. 1572.
93. Dionis Casii Libri Historiarum ex recensione Stephani 1591, quos do-  
navit **SIBYLLA DUCISSA VVÜRTEMBERG**, cujus & Serenissime Gen-  
tis manus proprie illata A. 1610.
94. Pausaniæ Descriptio Græciæ Græc. Lat. Ffurti 1583,  
S Isocratis Opera Græc. Lat. ex ed. Steph. 1595.
97. Dionysius Halicarnas. F. Lugduni 1592.



98. Xenophontis Opera Græco-Latina, Ffurti 1594.  
 99. Platonis Opera Græcè Fol. Basil. 1556.  
 100. Platonis Opera Lat. 1532.  
 101. Aristotelis Opera Lat. Fol. Basil. 1538.  
 102. Ejusdem Libri Ethic. ad Nicom. ex interpretatione Dion. Lambini cum Comment. Var. Basil. 1582.  
 103-106. Plutarch. Varia Scripta Græcè & Latin. Tom. IV. Vol. IV. Bas. 1560.  
 107. Valerius Maximus Lips. 1514. don. GAISLERUS, Pastor Ecclesia in Peregrinorum novalibus.  
 108. Petri Gualterii Prælectiones in Horat. Fol. Basil. 1587. don. Christoph. à VVallenroth Boruss. cujus insignia & Symbola appicta.  
 109. Jo. Bodini de Rep. Libri VI. Paris. 1586. donati à Jo. Segevo, Pharmacopæo Curienti, cujus insignia appicta.  
 110. Jo. Stobæi Κερας Αμαλθαιας Basil. 1557. don. à Job. STROBELIO. 1561.  
 111. Rosini Antiquitates Rom. Basil. 1583.  
 112. Leunclavii Historiæ Muselmannicæ L. XVIII. don. à THALMANNO, fato post abalienatæ & ab aliena manu vindicatæ à M. LATRIZIO, t. t.  
 113. Ciceronis Opera omnia. Lugd. 1588. 4. [Con-R. Chr.  
 114. MSC. Cicer. in membrana donante Streitbergero. 4.  
 115. Euripides Basil. 1537. 4to. (Schein Med. D.  
 116-117. Luciani Opera Tom. II bus Haganoæ 1535. don. Lazaro Meien-  
 118-119. Aristotelis Disciplinæ omnes Tom. & Vol. II bus 8vo Venetiis 1551.  
 120. Francisci Patricii Senensis de Regno & regni Institutione Paris: 1582.  
 121. Parva Poemata Basil. 1541. don. Hans Kowale/ 8vo.  
 122. Fragment. Phil. Græc. Florentiæ 1421. don. Meyero. 4to.  
 123. Repertorii Juris utriusq; Jo. Hertbachini de Firmo J. U. D. Pars III. ap. Anton. Koburger Fol. 1483. don. hunc librum ipsius Biblioth. ut semetipsum dedicatione vocat Ergodioctes D. Aurelius STREITB. A. 1590. mense Jan.  
 124. Zabarella super Clementinis, Taurini 1492. donante Georg TEGEL, Zedwigerisch. Derwalter  
 125. M. Abrah. Saueri Teutscher Reichs-Process, Ffurt. 1587. quem dd. M. Jo. SAMSTAG, Reet. Curientis.  
 126. Henrici Boceri Disp. Tubingæ 1588. don. Auctore. (Auct. 4to  
 127. D. Hofmanni Seria & Pia Tractatio Judicii & justitiæ Baruthi don.  
 128. Guil. Placentini de Saliceto in Scientia Medicinali & Specialiter perfectis Liber Venet. 1400. don. STREITBERGERO. A. 1590.  
 129. Loyli Cantica Witteb. 1569.  
 130. Chronicon Curientis MSS. tum Widemanni,

131. Canon oder Rubrica aller Kirchen-Ordnung ablegum Hofes S. Michael  
 el angefangen erstlich im 29. Jahr der mindern Zahl durch M. Casp. Löner/  
 Predigern daselbst/ 4to MSS. & alii Libri Ecclesiastici.

Hic Bibliothecæ Curienfis brevis est indiculus, quò prolixiorẽ  
 Catalogum cum tempore ab aliis dari posse fata benigniora indul-  
 geant. Plura non addo, qui his ipsis Sacrarium D. Michaelis nostri  
 & integrum templum denuò claudò, alias referaturus fores, ho-  
 noris nempe & devotionis, Serenissimo Patriæ Patri & totius Mar-  
 chionatûs Proceribus ineunte hoc novo anno debitæ. Quæ quan-  
 quam à memet Rectore ipso, pro more Illustris Gymnasii nostri  
 essent peragenda, tamẽ quod proximè secuturo Mense huic Athe-  
 næo nostro mihi vocato divini & terrestris Numinis gratiâ Pasto-  
 ri Selbenfi valedicendum sit, tamdiu intra ardentissimum pectus  
 censui mecum volvenda, ut vehementiori erumpant affectu, &  
 audientium auribus magis accidant grata, quæ eodem chordæ so-  
 no, ut lingua crambe bis coctâ, facile offenduntur.

Ne autem nostræ vel ullo modo desimus pietati, ora saltim duxi  
 commutanda, & quinque Gymn. nostri Civibus, boni plerisque com-  
 matis, & ad Honoratissimorum Parentum laudẽ pleno gressu con-  
 tendentibus, qui sub novi hujus anni exordium, novo dicen-  
 di comparebunt modo, & sua Gymnasii nomine Patriæ u-  
 niversæ impertientur vota, devotissimas distribuent strenas. Et  
 cum Oratiunculas illorum vernaculâ fieri Germanica Lingva,  
 easque in Profâ conceptas, consultum duxerimus, *Primus*

Jo. Laurentius W ALBER, Culmbaco-Francus, lite disceptatâ in  
 quantum novitatibus indulgere liceat, novi hujus instituti no-  
 stri reddet rationes, commilitonum dein propositum strictius  
 attinget, denique ad strenas & vota ferenda illos provocabit. *Sec.*  
 Elisæus R R O E S C H E R Nostras, adhibita modestè Juventu-  
 tis suæ excusatione, felicem emortui anni *παλιγγενεσίαν* Serenis-  
 simo Patriæ Patri gratulabitur, transiturus à gente Brandenbur-  
 gica Serenissima ad Illustria Consiliariorum Collegia, hisque pro-  
 batâ sua pietate oppidano quoque Magistratui feliciter acclama-  
 bit, & singulis strenæ loco emblemata cum voto statuet. *Tertius*

**Jo. Michael MIEBACH** Gefresensis, instituta Hierarchiarum collatione, Ecclesiasticae votivum probabit animū, quod prior Politicae fecit, & principio ab Illustri Consistorio constituto, ad universos totius Marchionatus Ecclesiae Ministros deproperabit, Curienti cum primis Reverendo Plurimum Ministerio bona verba daturus, quibus tandem nec ipsos Gymnasii & Scholarum Collegas extorres abire patietur. *Quartus.*  
**Carol. Christian. GEBHARDUS**, Statui Domestico favebit, terrenorumque bonorum trigam omnibus Marchionatus Civibus vovebit, emblemate votum, ut priores, obfignaturus.

*Denique Quintus*

**Christianus FRANKIUS** Plaviâ-Variscus, Jani bifrontis instar elapsi anni bona & pericula facie à tergo lustrabit, futura à divini Numinis bonitate ordinaturus, quam ardentissime implorabit, & actis Auditorio gratiis, actum finiet.  
 Cum ergo sic in Procerum vota abire simus parati, hiique Juvenes cras ad horam 9. è promptâ memoria illud sint expedituri, nulli dubitamus, quin Curiani Proceres animis lingvisque illis prolixè favere velint. Quod ut proniores faciant, Serenissimi Principis ac **NUTRITII** nostri, Consiliorum Praesidem Superiorem Eminentissimum, Consiliarium Intimum ac Exarchum nostrum Provinciale Splendidissimum Dominum, **DN. JO. ALBERTUM**, Comitem de **RONOV & BIBERSTEIN &c.** Dominum nostrum multum Gratosissimum, Prae-Nobiliss. Dominum Superintendentem & Gymnasii Inspectorem, **Dn. Josephum Friedericum** de **WALDECK &c.** cum **Rev. Pl. Ministerio**, Nobilissimos Medicinae Licentiatos, **Physic. Ord. Adj. & Medicos**; **Consultis. Dnn. Officiales**; **Prudentis. Spectatissimumque Senatum**, **Gymnasii Patronum & Scholarchas**; **Clariss. Collegas**, Prae-Eximios **Dnn. Studiosos &c.** omnes etiam, quibus illud collibitum fuerit, Cives, eâ, quæ singulis competit observantiâ, exoramus, pondus, quod à commendatiuncula nostra accesserit, obsequii & **Officiorum nostrorum** vice demerituri.



